Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1247
Quelle:
Copyright:

Mala punica. *Wolchürrige Öpphel.*
Crater. *Choph.*
Violata. *Genaczoget.*
Flumina. *Vlutunge.*

III. *fol.* 75. p. 2. Succedunt varia Homiletica. 1) Sermones in Commune de Apostolis, Martyribus, Confessoribus et Virginibus. 2) De Ecclesia militante sub schemate Civitatis Apocalypticae c. 21. 3) Praecerpta e XII. Prophetis et variis Patribus. 4) Sermones de Sanctis per anni circulum, quorum Autorem ad Ordinem Minorum pertinere, probabile fit ex Historiola, quae refertur de F. *Alexandro* quodam in Sermone de Exaltat. S. Crucis f. 172.

IV. *fol.* 205. p. 2. *Incipit Liber Scacorum.* Ita quidem: *Ego frater Jacobus de Cessolis ordinis fratrum Predicatorum uictus fratrum plurimorum et multorum scolarium nobilium dignitate* &c. Ne actum agam, vide, quae de hoc Opere *Vol.* I. P. 2. *col.* 2339. dicta sunt. Hic adhaeret *Sermo bonus de Nouo sacerdote.*

V. *fol.* 228. *Sequitur stella clericorum.* Initio: *Quasi stella matutina in medio nebule* &c. Saepius a me relata et frequenter typis excusa.

Terminant Codicem *fol.* 235. Rhythmi de Gallo in turribus Templorum, qui ineunt in hunc modum:

Multi sunt presbiteri,
Qui non sciunt, quare
Supra domum domini
Gallus solet stare,
Et hoc uolo breuiter
Vobis indicare.

Gallus est mirabilis
Dei creatura,
Et recti presbiteri
Illius figura.
Gallus nunquam negligit
Tempus uespertinum &c.

sed multum depravati sunt. Dein duplex brevicula *Dominicae Orationis* Expositio.

DXLIX.

U. 299 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 101. f. per duas columnas exaratus est *Tabula* sive Index in D. *Thomae Aquin. Opera* non omnia, sed ea, quae in Prooemio, quod simul utendi methodum docet, enumerantur; sunt vero: *Summa, Opus super librum sententiarum, Summa contra gentiles, Questiones de potentia dei, de veritate, Quolibeta tredecim, Questiones de uirtutibus in communi, de malo, de spiritualibus creaturis* et *de anima.* Nota Quodlibeta *tredecim* pro XII. Noster enim illis accenset Quaestionem *de Unione Verbi*, quae potius ad alias hic enumeratas Quaestiones pertinet, et in edit. *Rom.* 1570. f. cum iis T. VIII. constituit. Tabula ceterum alphabetica est, ab *Abraham* pertingens usque ad *Zizaniam.*